



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ortiv Et Progressiv Ac Viris Illvstribvsv Ordinis
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de
monte Carmelo**

Trithemius, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1643

Cap. V. Carmelitarum Excalceatorum monachorum initia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64495)

MARCHIONES S. IMPERII ROMANI
DOMINI FRISIÆ, SALINARVM,
TRANSISVLANÆ
OPPIDORVM ET TERRIT. MACHLINIÆ
TRAIECTI ET GRONINGÆ
DEDICARVNT ANNO M. DC. VII.
DEO OPT. MAX.
D. MARIE VIRGINI
ANNÆ ATQVE D. IOSEPHO.

Louain.
1607.

Anno eodem, Nouembris die tertio, *Louani* pariter virgini-Matri & S. Iosepho monasterium est sacratum: ædificijs a *Constantia Helmannæ*, virgine Antuerpianâ coemptis. Prima huic loco præfuit *Isabella à S. Paulo*, domo itidem Antuerpiana, quæ Pontifará cum monialibus aliquot aduenerat.

*Mons ex
Hainault.*
1608.

Anno sequenti *Montibus Hannoniæ*, quæ eius prouinciæ metropolis est, sacra eiusdem ordinis virgines domicilium collocarunt. Et erit, spero, cum longè latèque per Belgicam vicinasque prouincias, istud institutum, magno Ecclesiæ ac Reipublicæ bono, diffusum videbimus ac propagatum.

CAPVT V.

*Carmelitarum excalceatorum monachorum
initia.*

NEc suo tantum sexui, sed & nostro B. TERESA monitis exemploque profuit. Carmelitis, vt vocant, *Mitigatis Methymæ* Campi præerat *Antonius Heredia*, vir admodum pius atque eruditus, pòst *Antonius de Teju* nuncupatus. Cum isto primum B. TERESA agere cœpit de monachorum excalceatorum, qui ex præscripto primæ, vt vocant, regulæ Albertinæ viuerent, familijs instituendis. Nec displicuit consilium. Eiusdem

dem ordinis animique socius paullò pòst Anronio accessit *Ioannes Crucius*, Salamanticæ studijs dans operam. His prædium ædesq; suas, *Durueli* haud procul *Abula* fitas, vir nobilis *Raphael Auila Mexia* obtulit. Quo in loco pij viri isti anno MDLXVIII. 1568. prid. Kalend. Decembris primùm sedem fixere, & Præfecto generali alijsque Superioribus consentientibus, primæuæ regulæ disciplinam in vsum reuocarunt. Inde pòst *Manzeriam* transiére: quo in oppido *Ludouicus Toletanus*, Alhaniae Commendator, insignem ipsis basilicam adtribuit; ædificijs, *Manze-riense monasteriũ I.* quæ necessaria ad vsum essent, mox additis.

Anno sequenti, *Marianus à S. Benedicto*, eremita, natione Italus, homo iuxta doctus ac probus, eiusque socius *Ioannes à Miseria*, qui Tardonensi in saltu apud Hispalim integerrimè vixerant, suasu eiusdem B. TERESÆ, primitiuam regulam Carmelitanam amplexi, alterum *Pastranæ* virorum monasterium instituerunt. His sese plurimi postea sodales, in ijs *Ioannes de Iesu*, & *Hieronymus Gratianus à Matre Dei*, Vallisoletanus, Doctor Theologus Complutensis, quem nos Bruxellis postea vidimus & coluimus, adiunxerunt. Quæ quidem binæ familiæ ceterorum postea per Hispaniam aliasque prouincias cœnobiorum, velut seminaria quædam exstiterunt: ex quibus decem ferè ante obitum suum fundata vidit B. TERESA, & probando laudauit. *Pastranense monasterium II.*

III. Virorum cœnobium conditum est Hispali, *Seuille III.* auctore eodem *Hieronymo Gratiano*, Pastranæ tunc Priore.

Anno MDLXXX. *Philippo II.* Hisp. Rege petente, *Gregorius XIII.* Pont. Max. Carmelitas excalceatos Præfecti Prouincialis imperio diplomate xx. Nouembris anno eodem dato, exemit. Eo itaque consentiente anno proximè sequenti, primum, vt vocant, Capitulum seu conuentum Excalceati in vrbe Complutensi celebrarunt: estque primus tam *1580.* *1581.*

monachorum quàm virginum Præfectus Prouincialis idem *Hieronimus Gratianus* designatus: eã tamen lege, vt Excalceati sodales imperium Generalis Carmelitarum mitigatorum Præfecti agnoscerent.

1587.

1588.

1593.

Anno MDLXXXVII. & sequenti Sixtus V. datis diplomatis, permisit ordinis huius prouincias plures (crescente nimirum indies sodalium numero) institui, itemq; vicarium generalem & Consultarios sex deligi. Quinque igitur prouinciæ, nimirum *Castellæ veteris, Castellæ nouæ, Granata, Catalonia, & Portugallia*, sunt institutæ; & *Nicolaus de Iesu Maria* primus Vicarij generalis dignitate est cononestatus. Anno exinde cl. l. xciij. Clemente VIII. P. M. Excalceatos imperio Mitigatorum Carmelitarum prorsus exemit, indulfitque vt Generalem sibi Præfectum Excalceati eligerent. Itaque primus Excalceatorum Præpositus generalis XX. die mensis Decembris, anno eodem idem *Nicolaus de Iesu Maria*, qui tunc Vicarij Generalis munere fungebatur, communibus suffragijs est designatus. Quo quidem tricesimo post die viuus erepto, *Elias à S. Martino* suffectus est.

De *Olisiponensi* in Lusitania; de *Romano*, & *Genuensî* in Italia per eundem *Nicolaum de Iesu Maria* excitato; de *Mexicano* in India occidentali, & alijs alibi monasterijs mirificè efflorescentibus dicent alij. Faxit autem Deus, vt sacra ista sexus vtriusque germina per vniuersum orbem Christianum breui spargantur, atque æternum floeant;

Dei in primis honori augendo, & Virginis
Matris cultui propa-
gando.